



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii  
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qualificatoris, Et  
Olim Complvti Sacræ Theologiæ Professoris. Opvs  
Theologicvm, Iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Disseritvr ...

**Izquierdo, Sebastián**

**Romae, 1664**

Quæst. 3. Quid sit locus; seu potiùs quid veniat hoc nomine  
nuncupandum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](#)

mus infra quæst. 9. Vbi etiam monstrabimus, negationem entis seu possibilis, seu impossibilis omnino inextensi nullatenus extensam esse; atque adeò eo præterea titulo esse illam ad spatiū locale prorsus ineptam. Denique nulla negatio potest esse spatiū locale i quia nulla negatio est capacitas extensionis positivæ qualis debet esse spatiū locale, ut satis superque est per se notum; & quia nulla negatio est idonea mensura extis positivi, qualis est omnium locabilium spatiū locale; cùm potius omnis negatio ē contra per ens positivum metienda veniat, qua ratione potest negatio cadere sub mensuram.

37 Iam verò, capacitatē, seu possibilitatē localis extensionis, in qua ponimus reipsā spatiū locale, non esse quidquam actu existens reipsā, nequitum debuisse mouere, vt mouit Carleton & alios adhuc, vt derelicta sententiā communī, consugerent ad querendum illud in negationibus. Quia ad hoc, vt nos cum veritate loquamur, vt sāpe loquimur, quasi supponentes esse spatiū locale aliiquid actu existens; sat est, quod ita illud imaginem, & quod reverā sufficiat fundamenta, qua huiusmodi loquitionum sunt verificatiua iuxta doctrinā habilitatis numer. 34.

38 Tertiō tandem infero, spatiū locale, quod imaginariū vocamus, non esse merum signum ablique reali fundamento confidū: atque adeò, non esse ens rationis sicutum, eti si ens rationis suppositū sum pūm formaliter habens pro fundamento reali capacitatē, seu possibilitatē extensionis localis, sive præsentia localis extenſa circumquaque infinita, prout satis superque constat ex hac tenus dicitis.

### QVAESTIO III.

*Quid sit locus, seu potius quid venias  
hoc nomine nuncupandum.*

39 E Tenim, suppositis dīcis in primā, & secundā quæst. hæc quæstio tertia dumtaxat de nomine eis. Stoici, Epicurei, & alij ex Philosophis antiquioribus spatiū illud, quod nos imaginariū vocamus, quodque privatum corpore, inane appellabant, repletum corpore ipsius corporis locum esse dixerunt. Quam sententiam sequuti sunt præterea Empiricus, Straton, Lampsacenus, Syriacus, Galenus, Philoponus, & alij, vt referunt Comimbric. lib. 4. Physic. cap. 5. quæst. 1. art. 2. & Petrus Gallandus pro eadē nouissimè stans tom. suo 1. Philosophia Epicuri pag. 614. & sequentibus.

Aristoteles verò lib. 4. Physic. cap. 4. docet, locum esse Circundanii corporis extremum immobile primum. Quem omnes Peripatetici tequuntur sūt. Vnde illa vulgaris definitio loci manauit, Est ultima superficies corporis continentis immobile primum. Dicitur corporis continentis primum, ad excludendas ultimas superficies aliorum corporum maiorum, quæ non immediate, sed remotè, atque adeò veluti secundari continent locatum, & locum. Dicitur etiam superficies immobile iuxta communem expositionem, præfertim Recentiorum, vt significetur, ultimam superficiem corporis continentis, seu circundan-

tis locatum, non vñcunque esse locum eius, sed reduplicatiuē vt præsentem in tali spatio, quo pacto ratione præsentia immobilitas est. Et quo patet, locum iuxta sententiam istam ex duobus necessarii componi, ex superficie scilicet ultimā corporis continentis, & ex præsentia eius in tali spatio, à qua habet, vt sit immobilitas, qualis locus esse debet iuxta sententiam omnium; alioquin posset locatum prorsus immotum mutare loca, aut non mutando loca moueri. Quod vñrumque reputatur absurdum. Vnde, stando in hac sententia, vulgo colligitur ad identitatem numericam loci neque requiri identitatem superficie ambientis, neque identitatem præsentia eius, sed solam identitatem spatiū localis eiusmodi superficie. Ob idque turrim semper descendam manere in eodem loco; tametsi singulis momentis muter superficies aeris ambientis cum ipsarum præsentis: quia semper est verum, manere circumdatam aliquā superficie immediata alicuius corporis continentis per aliquam præsentiam præsentem in hoc numero spatio locali, quod imaginariū appellant. Et è conuerso ob id aquam in vase inclusam mutare loca, dum vas mouetur; tametsi intra eamdem semper ultimam superficiem vasis contingatur: quia mutat spatia, quibus talis superficies per motum successuē fit præsens.

Tertia sententia potest eorum esse, qui 41 præsentiam, quam mobile per motum adquirit intrinsecam sibi, & inhærentem, iuxta dicta quæst. 1. locum intrinsecum appellant, quem modum loquendi probabilem reputant Tolet. lib. 4. Physic. quæst. 8. & Soar. disput. 51. Met. 42. 2.

Ego in hac quæstione de nomine arbitror 42 primò, spatiū locale satis congruē dici locum rei tali spatio correspondentis, sive illud quid reale, sive quid imaginariū esse dicatur, quo pacto explicatum est quæst. 2. Imo de facto iuxta vulgarem, communemque hominum conceptionem satis frequenter, ne dicam plerunque, venit haud dubie nomine loci intelligentia eiusmodi spatiū. Eius autem appellationis congruitas in eo stat, quod omnium conceptionis proprietates loci sunt, esse immobilem, esse æqualem locato, sive ei adæquari, acquiri per motum latioris, recipere in se locatum, &c. Quæ omnes iuncta in nullo alio conceptu ita proprie, ac in prædicto spatio reperi videntur. Secundò arbitror, bene etiam dici locum, extrinsecum tamen, quem Aristoteles definit. Tertiō, impropriū valde, & abusivē dici locum præsentiam intrinsecam rei locata; quia omnis res locata in suo loco dicitur esse, aut præsens esse, & tamē nulla vñquam res dicitur esse, aut præsens esse in sua intrinsecā præsentia. Quare, hac usurpatione loci relicta, iuxta alias duas duplex locus est distinguendus, quorum primus locus imaginariū; secundus verò locus realis distinctionis gratiā dicentur. Itaque spatiū, quod imaginariū appellant, aut spatiū locale, aut locus imaginariū dicitur deinceps: locus autem realis ille, quem definitiū Aristoteles, nimurū superficies immobilis ambientis immediate rem locatam. Quo fere modo etiam in imaginariū, & reale diuidimus tempus inferioris spatiū. 7. quæst. 2.

Vnde colliges: qua ratione Cœlum omnium supremum, (quod veteres Philosophi primum mobile esse putabant, nos vero credimus, est)

cœlum Empyreum), dicendum sit esse in loco, vel secus. In cuius rei determinatione non tam leui labore, quam fructu multi vexati sunt, dicentibus alijs, ut Alexand. Cœlum supremum non esse in loco; alijs, ut Gibert, locum supremi Cœli esse ultimam superficiem eius; alijs, ut Abempac. Alpharab. Auerr. locum supremi Cœli esse centrum mundi: alijs, ut Aristot. quem multi sunt sequunt, Cœlum supremum per accidens tantum esse in loco ratione partium. De quo plura Conimb. lib. 4. Physic. cap. 5. quæst. 2. Verum ex dictis facile constat, quid in hac re dicendum sit: tempore Cœlum supremum, ultra quod non est aliud corpus, non esse in loco reali illud circumscribente; esse tamen in loco imaginario, in spatio locali, quod occupat.

QUÆSTIO IV.

Quattuplex sit præsentia localis,  
seu ubicatio.

<sup>44</sup> **E**ns, quod per præsentiam ponitur in spacio locali, imprimis aliud est simplex, & indivisiibile physicè, ut Angelus; aliud compositum, & divisibile physicè, ut corpus. (Hic namque solum est sermo de simplicitate, & compositione physica). Compositum autem ens aut ex solis indivisiibilibus, aut ex solis partibus in infinitum indivisiibilibus, aut ex utriusque compositum considerari potest; sive omnia hæc compositiones genera sint possibilia, sive secus, de quo disput. 10. Similiter spatum, in quo ens per præsentiam ponitur, aut simplex, seu indivisiibile, aut compositum, seu divisibile aliquo ex predictis tribus modis concipi potest. Porro tam ens simplex, quam ens compositum tum in spacio indivisiibili, tum in spacio divisibili ponit præsens potest.

<sup>45</sup> Quando ens simplex ponitur præsens in spacio divisibili, necesse est, ut totum in toto spacio, & totum in singulis partibus spatiij præsens sit, ut est notum. Ens vero compositum bifariam in spacio divisibili potest præsens ponit. Primo, ita, ut totum illud in toto spacio, & singulae partes illius in singulis partibus spatiij præsentes sint per distributionem accommodam. Secundo, ita, ut totum illud in toto spacio, & totum etiam in singulis partibus spatiij sit præsens, ad instar entis indivisiibili.

<sup>46</sup> Et præsentia quidem, qua quodus ens seu simplex, seu compositum in spacio divisibili collocatur totum in toto, & totum in singulis eius partibus, præsentia definitiva appellatur, late hoc vocabulo usurpatum. Quia vero ens compositum in spacio divisibili collocatur, ita, ut totum ens sit in toto spacio, & singulae partes entis in singulis partibus spatiij distributi, præsentia circumscriptiva dicitur. Præsentia denique, qua quodus ens seu simplex, seu compositum, in spacio indivisiibili collocatur, nondum, ut deberet, speciale nomen fortior est. Dicatur ergo distinctionis gratia præsentia contractiva. Aduero tamen, nomine entis, & spatiij compoſiti, seu divisibili tantum venire impræsentiarum illud intelligendum, cuius partes inter se continuantur, aut saltem se se immediate tangentes,

sive contigua. Si enim aliquo modo sint interrup̄tæ, aut loco disiitæ, quod attinet ad institutum præsens, non unum ens, aut unum spatiū, sed plura dicentur.

Iam vero præsentia definitiva entis indi- <sup>47</sup> visibilis duplex est. Altera, quæ penes diuisibilitatem spatiij, cui correspondet, diuisibilis est, ita, ut singulis partibus spatiij, singulæ quoque præsentia partes inter se distinctæ respondent, quæ tamen eiusdem subiecti præsentia sunt. Altera, quæ omnino indiuisibilis est, atque ita, non per suarum partium distributionem, quas non habet, sed per sui totius replicationem, sive repetitionem ponitur, ponitque suum subiectum in omnibus, & singulis spaciis partibus. Talis est præsentia, quæ Deus spatio diuisibili præsens est, ut ostendemus disput. 6. Ceterū neutra harum præsentiarum erit possibilis, nisi spatiū diuisibile, cui correspondet, ex solidis indiuisibilibus, non vero insuper ex partibus in infinitum diuisibilibus componatur, ut infra quæst. 6. monstrabo.

Præsentia autem definitiva entis diuisibilis <sup>48</sup> quadruplex est. Prima, quæ penes diuisibilitatem tam spatiij, quam subiecti diuisibilis est, atque ita ex duplice genere partium constat; aliae sunt, quibus qualibet pars subiecti sit præsens omnibus, & singulis partibus spatiij; aliae sunt, quibus in qualibet parte spatiij ponuntur omnes & singulae partes subiecti. Secunda, quæ penes diuisibilitatem solius spatiij, non item subiecti, est diuisibilis; cuius prouinde qualibet pars in parte spatiij, cui correspondet, ponit præsens indiuisimorum subiectum; atque ita singulis partibus subiecti per sui repetitionem inhæret. Tertia, quæ penes diuisibilitatem solius subiecti, non item spatiij, est diuisibilis; cuius prouinde qualibet pars eam subiecti partem, cui vnicè inhæret, in omnibus, & singulis partibus spatiij per sui repetitionem, sive replicationem ponit. Quarta denique, quæ omnino indiuisibilis est, atque ita per quandam sui repetitionem inhæret singulis partibus subiecti, per alteramque sui repetitionem omnes, & singulas earum ponit in singulis partibus spatiij.

Præsentia circumscriptiva solum potest esse <sup>49</sup> composita ex partibus, quarum singulae partibus distinctis tum subiecti, tum spatiij respondeant, ut constat ex eius descriptione tradita supra.

Præsentia denique contractiva, si sit entis indiuisibilibus, omnino indiuisibilis erit. Quia & subiectum, & spatiū eius sunt indiuisibilia. Nisi quis velit ex partibus puræ intentionis posse esse compositam: de qua præsentiarum compositione modo non agimus. Si vero sit entis diuisibilis, duplex ad rem distinguuntur potest. Altera diuisibilis penes diuisibilitatem subiecti, cuius singulae partes singulas subiecti partes in eodem indiuisibili spatio ponant. Altera omnino indiuisibilis, que per replicationem sui omnibus, & singulis partibus subiecti inhæret, easque collocet in suo spacio indiuisibili.

Sunt præterea multa alia genera præsentiarum haud dubie excogitabilium, quæ ex commixtione predictarum, omni earum combinatione facta, resultant. Verum in eis prolixius recensendis non opportet morari. Sat sit exempli gratia scire, esse excogitabilem præsentiam definitiū subiecti indiuisibilis, quæ partim